



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De ministro huius sacramenti. Quæstio 31.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

Ad secundum dicendum, quod unctio, quæ fit in ordine & confirmatione, est unctio consecrationis, qua homo deputatur ad aliquid sacrum: sed hæc unctio est unctio medicationis. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod in hoc sacramento res & sacramentum non est character, sed quædam interior deuotio, quæ est spiritualis unctio.

QVÆST. XXXI.

† *Concil. Irid. ses. 14 de sacram. extrinsec. vñtionis, c. 3.* De ministro † huius sacramenti, in tres articulos diuisa.

D Einde considerandum est de administratione huius sacramenti.

¶ Circa quod quæruntur tria.

¶ Primo, utrum laicus possit hoc sacramentum conferre?

¶ Secundo, utrum Diaconus?

¶ Tertio, utrum solus Episcopus?

ARTIC. I.

123 *Tho. vbi supra, q. 2. a. 1. q. 1. & seq. * lai. 5.* **Vtrum laicus possit hoc sacramentum conferre?**

AD primum sic proceditur. Videtur, quod etiam laicus possit hoc sacramentum conferre. Quia hoc sacramentum habet efficaciam ex oratione, ut Iacobus * dicit. Sed oratio laici quandoque est in Deo accepta sicut sacerdotis. Ergo potest hoc sacramentum conferre.

¶ 2 Præterea, De quibusdam patribus in Aegypto legitur, quod oleum ad infirmos transmittēbant, & sanabantur. Et similiter dicitur de beata Genouefa, quod oleo infirmos ungebat. Ergo hoc sacramentum potest conferri etiam a laicis.

SED contra est, quod in hoc sacramento fit remissio peccatorum. Sed laici non habent potestatem dimittendi peccata. Ergo, &c.

*61. 5. non procul à prin. * 3. p. 9. 67. ar. 3. 4. & 5.* **RESPONDEO** dicendum, quod secundum Dionysium Eccles. Hier. * sunt quidam exercentes actiones hierarchicas, & quidam recipientes tantum, qui sunt laici. Et ideo nullius sacramenti dispensatio laicis ex officio competit *. Sed quod baptizare possunt in casu

caſu neceſſitatis, ex diuina diſpenſatione factum eſt, vt nulli regenerationis ſpiritualis facultas deſit.

Ad primum ergo dicendum, quòd oratio illa non fit à ſacerdote in perſona ſua, quia cum fit quandoque peccator, non eſſet exaudibilis: ſed fit in perſona totius Eccleſie, in cuius perſona orare poteſt quaſi perſona publica, non autem laicus, qui perſona priuata eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd illæ vnctiones non erant ſacramentales: ſed ex quadam deuotione recipientium talem vnctionem, & meritis vnctum, vel oleum mittentium, conſequebatur effectus ſanctitatis corporalis per gratiam ſanctitatum, non autem per gratiam ſacramentalem.

ARTIC. II.

Utrum diaconi poſſint hoc ſacramentum conferre?

124

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd Diaconi poſſint hoc ſacramentum conferre. Quia ſecundum Dion. * Diaconi habent virtutem purgatiuum. Sed hoc ſacramentum eſt inſtitutum tantum ad purgandum ab infirmitate mentis & corporis. Ergo & Diaconi poſſunt conferre.

c. 5. ccel. hierar. p. 1. circa med.

* Præterea, Dignius ſacramentum eſt Baptiſmus quàm hoc, de quo hic agimus. Sed Diaconi poſſunt baptizare, vt patet de beato Laurentio *. Ergo & poſſunt hoc ſacramentum conferre.

* vt etiã dictū eſt

SED contra eſt, quòd dicitur Iacobi 5. Inducat presbyteros Eccleſiæ.

3. p. 4. 67 ar. 1. ad 3.

RESPONDEO dicendum, quòd Diaconus habet vim purgatiuam tantum, non illuminatiuam. Vnde cum illuminatio fiat per gratiam, nullum ſacramentum in quo gratia confertur, Diaconus poteſt dare ex officio: & ideò nec hoc cum in eo gratia conferatur.

ſc. Tr. ſeſſ. 14. de ſacr. ext. vnctionis c. 3. & c. non 4.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc ſacramentum illuminando per gratiæ collationem, purgat. Et ideò Diacono eius collatio non competit.

Ad ſecundum dicendum, quòd hoc ſacramentum non eſt neceſſitatis ſacramentum, ſicut baptiſmus: vnde

vnde non ita committitur dispensatio eius omnibus in articulo necessitatis, sed solum illis quibus ex officio competit. Diaconis autem, etiam baptizare non competit ex officio.

ARTIC. III.

Vtrum solus Episcopus possit hoc sacramentum conferre?

125

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod solus Episcopus possit hoc sacramentum conferre. Quia hoc sacramentum vnctione perficitur, sicut confirmatio. Sed solus episcopus potest confirmare. Ergo solus Episcopus potest hoc sacramentum conferre.

¶ 2 Præterea, Qui non potest quod minus est, non potest quod est maius. Sed maior est usus materie sanctificate, quam sanctificatio eius: quia est finis ipsius. Ergo cum sacerdos non possit sanctificare materiam, nec potest materia sanctificata uti.

SED contra, Huius sacramenti minister inducendus est ad eum qui suscipit sacramentum: ut patet Jac. 5. Sed Episcopus non posset accedere ad omnes infirmos sue diocesis. Ergo non solus Episcopus potest hoc sacramentum conferre.

e. 5. eccl.
hier. p. 1.
a med. et
in tit. cō-
templ.
in 4 d. 7.
a. 1. q. 2.
eo. et ibi-
dem art.
q. 2. ad 1
q. 1. c.
a. 2. q. 3.
corp et 3.
p. 9. 63.
ar. 6. c.
q. 72. a. 1
c. 5.

RESPONDEO dicendum, quod secundum Dion. & Episcopus proprie habet perficiendi officium, sicut sacerdos illuminandi: vnde illa sacramenta dispensanda solis Episcopis referuntur, quæ suspicientem in aliquo statu perfectionis super alios ponunt. Hoc autem non est in hoc sacramento, cum omnibus detur. Et ideo per simplices sacerdotes potest administrari.

Ad primum ergo dicendum, quod confirmatio im-primis characterem, quo collocatur homo in statu perfectionis, ut supra dictum est. Non autem hoc est in hoc sacramento; & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in genere causæ finalis, usus materie sanctificate sit potior quam sanctificatio materie: tamen in genere causæ efficien- tis sanctificatio materie est prior: quia ab eadem pen- detur

pendet vsus, sicut ab actiua causa. Et ideo sanctifica-
tio requirit altiorem virtutem actiuam, quam vsus.

QVÆST. XXXII.

Quibus hoc sacramentum conferri debeat, & in qua
parte corporis, in septem articulos diuisa.

Deinde considerandū est de his, quibus hoc sacra-
mentū conferri debet: & in qua parte corporis.

¶ Circa quod quærentur septem.

¶ Primo, vtrum sanis debeat conferri hoc sacra-
mentum?

¶ Secundo, vtrum debeat conferri in qualibet infir-
mitate?

¶ Tertio, vtrum debeat conferri furiosis & amen-
tibus?

¶ Quarto, vtrum pueris?

¶ Quinto, vtrum totum corpus in hoc sacramento
inungi debeat?

¶ Sexto, vtrum conuenienter determinentur partes,
in quibus inungitur?

¶ Septimo, vtrum mutilati, in prædictis partibus
inungi debeant?

ARTIC. I.

Vtrum sanis debeat conferri hoc sacramentum?

126

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod etiam
sanis debeat conferri hoc sacramentum. Quia

principalior effectus huius sacramenti est sanatio me-
tis, quam sanatio corporis; vt dictum est*. Sed etiam

sani corpore indigent sanatione mentis. Ergo eis
etiam debet hoc sacramentum conferri.

¶ 2 Præterea, Hoc sacramentum est exeuntium,
sicut baptismus intransium. Sed omnibus intransibus
baptismus datur. Ergo omnibus exeuntibus debet da-
ri hoc sacramentum. Sed quandoque illi qui sunt in
propinquo exitu, sunt sani, sicut illi qui decapitandi
sunt. Ergo talibus debet hoc sacramentum dari.

Sed contra est, quod dicitur Iac. 5. Infirmatur
quis in vobis? &c. Ergo solis infirmis comperit hoc
sacramentum.

RE-

Tho. 4. d.
23. q. 2.
ar. 2. q. 1.
& seq.
q. 0. ar.
2. co. &
ad 1.